



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Desiderius. Dialogvs Vere Pius, & Comprimis Iucundus, De
Expedita Ad Dei Amorem Via**

Comalada, Miguel

Elvaci, 1685

Cap. XIV. Ut Dominus Desiderio optimas tradiderit sese bene gerendi
institutiones & canonem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60062](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60062)

reuerentia & fervore te amant, tibi
 ferviunt, teque honorant, ingen-
 tem contumeliam & injuriam essem
 illaturus. Dic ergo, mi Domine,
 quid me proferre vel agere oporteat.
 Totum namque me tuis permitto
 manibus, totumque me tibi offero.
 Præsta mihi, Domine, humilitatis
 spiritum, quo tibi, Domuique tuæ
 & filiis tuis ita, ut oportet, servi-
 am, placeatque tibi famulatus meus,
 Tuque, mi Domine, in me hono-
 re & gloriâ afficiaris.

*Ut Dominus Desiderio optimas
 tradiderit sese bene gerendi
 institutiones & ca-
 nonem.*

CAPUT XIV.

SUrge jam & pone formidinem.
 Modò posthac probus & integer,
 & qualem te decet, esse velis, om-
 nis

nis molestiæ & injuriæ mihi abs te illatæ, nunquam recordabor. Attamen ut possis effici melior, en quatuor quædam verba tibi tradam, quæ si bene servâris ac memoriâ retinueris, non mediocrem tibi adferent utilitatem. Priora duo sunt, Ego & Tu: posteriora duo sunt, Mancipium & Rex. Isthæc verba quatuor, ubi probè exercitare ac operi mancipare noveris, ad magnam te perfectionem, cordisque puritatem provehent ac promovebunt, atque à cunctis animi motibus & perturbationibus tuebuntur, efficiantque, ut cum quibuslibet deinceps pacificè, tranquillè ac amanter vivere & conversari queas. **DESID.** Obsecro, mi Domine, uti ne explicare graveris, qua ratione isthæc quatuor verba exercitare debeam. **DOM.** Cuncta tua exercitia ad hæc verba referre potes: sunt namque sententiis grava, possentque de iis solis ingentia scribi volumina, sufficient-

rentque ad magnam obtinendam perfectionem, etiam absque ullis aliis codicibus. Itaque quando mecum colloqui instituis, si tum sentias te frigidum, distractum, aut propter aliquod tibi demandatum opus, malè affectum, ita tibi persuadeas, quasi his ego solis verbis te compellem, Ego & Tu : sicque Mundum omnem, & quicquid unquam sive visu, sive auditu perceperis, ex animo excludas, neminemque in Mundo, nisi me & te, superesse cogites. Alia duo verba, nempe Mancipium & Rex, ad vitam cum Fratibus in hac domo transigendam conferent. Quorum primum, puta Mancipium, eò pertinet, ut cogites, te omnium esse mancipium, qua re humilitatem & obedientiam exhibebis. Alterum verò, nempe Rex, id sibi vult, ut memineris te tui ipsius regem esse. Ego verò ejusmodi reges omnes multis afficio divitiis atque deliciis. Hac
jam

jam institutione in præsens conten-
tus abi, bonaq; pace frueri. *DESID.*
Cur me, Domine, hinc abscedere,
teque deserere jubes? *DOM.* Ne
te dignum aut meritum putes, qui
semper mecum permanes, nisi
quantum ipse velim, aut cum te ac-
cerfiri jubeam, neve inde quicquam
inanis gloriæ aut præsumptionis vel
præfidentia concipias. Caterum
ubi mihi visum erit, te faciam ad-
vocari. Atqui antequam hinc rece-
das, cor tuum hinc apud me depo-
nas, ita ut ubicunque te esse conti-
gerit, tui præcipua ac potior portio
mecum sit. *DESID.* Gratum id
habeo, mi Domine. Equidem cor
meum totum tibi præbeo & offero.
DOM. Placet mihi, ut hac vice
apud me permaneat. Non est autem,
quod putes, semper te id, quoties
voles, facere posse. Imò verò pro
tui humiliatione grandi que utilitate
quandoque etiam illud apud me reti-
nere reculabo. Unum tamen hoc
nôf-

nōsse te velim, quod alioqui ignoras, tantō me crebrioribus amicis meos molestiis, doloribus & adversis casibus affligere, quantō eis plus utilitatis, solatij & gaudij præstare appeto & laboro. Verūm si canem tuum, hoc est, Bonam Voluntatem apud me relinquere velis, poterit is perpetim mecum permanere, ut nunquam hinc recedat, nisi ipse velis, sed eum mihi quotidie commendare debebis. **DESID.** Quid necesse est, quotidie eum commendare tibi? Satisne sit semel id fecisse? **DOM.** Minimè sanè: non quidem ne ego tui obliviscar, sed ne te mei capiat oblivio, utque occasionem habeas, me tuo semper in pectore sive memoriâ retinendi, atque ita ipse tibi gratificer & benefaciam, & pro tuo usu & utilitate suppetias & opem tibi feram. Nam quod ad me attinet, quis inde ad me fructus redit, si mei vel memor sis vel immemor? **DESID.** Gratias uberes tibi

ago

ago Domine. Jam pridem enim novi benevolentiam & bonitatem tuam, propter quas solas cuncta in nobis agis & operaris, perinde quasi nostri indigus sis, idque non nisi pro salute & utilitate nostra.

*Ut Desiderius memorata Domini
quatuor verba exercitavit, &
quem inde fructum sit
consecutus.*

CAPUT XV.

HIS ita transactis, Desiderius ex DOMINI cubiculo discessit, relicto apud eum corde suo; invenitque Desiderium DEI, suam praeforibus reditum sustinens. Cui tum DESIDERIUM DEI. Ecquid, ait, tam diu intus egisti? Crede mihi, nonnunquam uno apud illum verbo plus, quam centum, effeceris.
DESID. Vide cor mihi, mi Domine,
bre-